



**EPISTOLA ENCYCLICA**  
IN PONTIFICATUS EXORDIIS EDITA

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**L**NSCRUTABILI Dei consilio ad Apostolicæ dignitatis fastigium licet immerentes evecli, vehemēti statim desiderio ac voluti necessitate urgeri Nos sensimus, Vos litteris alloquendi, non modo ut sensus intimæ dilectionis Nostræ Vobis expromeremus, sed etiam ut Vos in partem sollicitudinis Nostræ votatos, ad sustinendam Nobiscum horum temporum dimicationem pro Ecclesia Dei et pro salute animarum, ex munere Nobis divinitus credito confirmarem.

Ab ipsis enim Nostri Pontificatus exordiis tristic Nobis sese offert, conspectus malorum quibus hominum genus undique premitur: hæc tem late patens subversio supremarum veritatum quibus, tamquam fundamentis, humanæ societatis status continetur; hæc ingeniorum protervia legitime cuiusque potestatis impatiens; hæc perpetua dissidiorum causa, unde intestinæ concerlationes, seve et cruenta bella existunt; contemptus legum quæ mores regunt iustitiamque tuentur fluxerum rerum inexplebilis cupiditas et æternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio effusio interversio; nec non eorum imprudentia qui, cum maxime fallunt id agunt, ut patriæ ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videntur: ea denique quæ serpit per artus intimos humanæ

societatis lothifera (quædam pestis, quæ eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit.

Horum autem malorum causam in eo præcipue sitam esse Nobis persuasum est, quod despecta ac reiecta sit sancta illa et augustissima Ecclesiæ auctoritas, quæ Dei nomine humano generi præest et legitime cuiusque auctoritatis vind-x est et præsidium. Quod cum hostes publici ordinis probe noverint, nihil aptius ad societatis fundamenta convellenda putaverunt, quam si Ecclesiam Dei pertinaci aggressionem peterent, et probrosis calumniis in invidiam odiumque vocantes quasi ipsa civili veri nominis humanitati adversaretur, eius auctoritatem et vim novis in dies vulneribus labefactarent, supremamque potestatem Romani Pontificis evertèrent, in quo æternæ ac immutabilis boni rectique rationes custodem in terris habent et adsertorem. Hinc porro profectæ sunt leges divinam Catholicæ Ecclesiæ constitutionem convellentes, quas in plerisque regionibus latis esse deploramus; hinc dimanarunt episcopalis potestatis contemptus, objecta ecclesiastici ministerii exercitio impedimenta, religiosorum coetum disiectio, ac publicatio bonorum, quibus Ecclesiæ administrati et pauperes alebantur; hinc effectum ut a salutari Ecclesiæ moderamine publica instituta, caritati et beneficentiæ consecrata subducerentur; hinc orta effrenis illa libertas prava quæque docendi et in vulgus edendi, dum ex adverso modis omnibus Ecclesiæ ius ad iuventutis institutionem et educationem, violatur et opprimitur. Neque alio spectat civilis Principatus occupatio, quem divina Providentia multis abhinc sæculis Romano Antistiti concessit, ut libere ac expedite potestate a Christo collata, ad æternam populorum salutem, uteretur.

Funes hanc aerumnarum molem Vobis, Venerabiles Fratres, commemoravimus, non ad augendam tristitiam Vestram, quam miserima hæc rerum conditio per se Vobis ingerit; sed quia intelligimus ex ea Vobis apprimè perspectum fore, quanta sit gravitas rerum quæ ministerium et zelum nostrum exposcunt, et quam magno studio nobis adlaborandum sit, ut Ecclesiam Christi et huius Apostolicæ Sedis dignitatem, tot calumniis lacessitam, in hæc præsertim iniquitate temporum pro viribus defendamus ac vindicemus.

Clare innotescit ac liquet, Venerabiles Fratres, civilis humanitatis rationem solidis fundamentis destitit, nisi æternis principiis veritatis et immutabilis recti iustique legibus innitatur, ac nisi hominum voluntates inter se sincera dilectio devinciat, officiorumque inter eos vices ac rationes suaviter moderetur. Im vero equis negare audeat Ecclesiam esse, quæ diffuso per gentes Evangelii præconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit, eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quæ servitutis calamitate sublata, ad pristinam naturæ nobilissimæ dignitatem homines revocavit; quæ in omnibus terræ plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adduc-

tis aut suo teotis praesidio, optimis caritatis institutis, quae omnis generis aerumnis consultum est, fundatis et in tutelam receptis, ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam humanae dignitati et spei consentaneam omni studio composuit? Quod si quis sanae mentis hanc ipsam qua vivimus aetatem, Religioni et Ecclesiae Christi intensissimam, cum iis temporibus auspiciatissimis conferat, quibus Ecclesia uti mater a gentibus colebatur, omnino comperiet aetatem hanc nostram perturbationibus et demolitionibus plenam, recta ac rapide in sum perniciem ruere; ea vero tempora optimis institutis, vitae tranquillitate, opibus et prosperitate eo magis floruisse, quo Ecclesiae roginis ac legum sese observatores populi exhibuerunt. Quod si plurima ea quae memoravimus bona, ab Ecclesiae ministerio et salutari ope profecta, vera sunt humanitatis civilis opera ac decora, tantum abest ut Ecclesiae Christi ea abhorreat eamve respuat, ut ad sese potius altricis magistrae et matris eius laudem omnino censeat pertinere.

Quinimmo illud civilis humanitatis genus, quod sanctis Ecclesiae doctrinis et legibus ex adverso repugnet non aliud nisi civilis cultus figmentum et abs re nomen inane putandum est. Cuius rei manifesto sunt argumenta populi illi, quae evangelica lux non affulsit, quorum in vita fucus quidam humanioris cultus conspici potuit, at solida et vera eius bona non vigerunt. Haudquaquam sane civilis vitae perfectio ea ducenda est, qua legitima quoque potestas audacter contemnitur; neque ea libertas reputanda, quae effroni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere explendis, impunitate flagitiorum et scelorum, oppressione optimorum civium cuiusque ordinis, turpiter et misere grassatur. Cum enim erronea prava et absona haec sint, non eam vim profecto habent, ut humanam familiam perficiant et prosperitate fortunent, *miseros enim facit populus peccatum* (1); sed omnino necesse est, ut mentibus et cordibus corruptis, ipsa in omnem labem pondere suo populus detradant, rectum quemque ordinem labefectent, atque ita reipublicae conditionem et tranquillitatem serius ocius ad vitium exitium adducant.

Quid autem, si Romani Pontificatus opera spectantur, iniquis esse potest, quam infirari quantopere Romani Antistes de universa civili societate et quam egregie sint meriti? Profecto Decessores Nostri, ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus obicere nunquam dubitarunt: et defixis in coelo oculis neque improborum minis submisere frontem, neque blanditiis aut pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt. Fuit haec Apostolica Sedes, quae dilapsae societatis veteris reliquias collegit et coagmentavit; haec eadem fax amica fuit, qua humanitas christianorum tempo-

(1) Prov. XIV, 24.

rum effulsit; fuit haec salutis anchora inter saevissimas tempestates quae humana progenies iactata est; sacrum fuit concordiae vinculum quod nationes dissitas moribusque diversas inter se consociavit: centrum denique commune fuit, unde cum fidei et religionis doctrina, tum pacis et rerum gerendarum auspacia ac consilia petebantur. Quid multa? Pontificum Maximorum laus est quod constantissime se pro muro et propugnaculo obiecerint, ne humana societas in superstitutionem et barbariem antiquam relaberetur.

Utinam autem salutis haec auctoritas neglecta nunquam esset vel repudiata! Profecto neque civilis Principatus augustum et sacrum illud amisisset deus, quod a religione inditum praeferebat, quodque unum parendi conditionem homine dignam nobis emque efficit; neque exarsissent tot seditiones et bella, quae calamitatibus et caedibus terras funestarunt; neque regna olim florentissima, e prosperitatibus culmine deiecta omnium aerumnarum pondere premerentur. Cuius rei exemplo etiam sunt Orientales populi, qui abrupti suavissimis vinculis, quibus cum Apostolica haec Sede iungebantur, primae aevi novitatis splendorem, scientiarum et artium laudem, atque imperii sui dignitatem amiserunt.

Praeclara autem beneficia, quae in quamlibet terrae plagam ab Apostolica Sede profecta esse illustria omnium temporum monumenta declarant, potissimum persensit Italia haec regio, quae quanto eidem propinquior loci natura extitit, tanto uberioris fructus ab ea percepit. Romanis certe Pontificibus Italia acceptam referre debet, solidam gloriam et amplitudinem, qua reliquas inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu textit, ei temque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur.

Huiusmodi Praedecessorum Nostrorum merita ut caetera praeterreamus, maxime testatur memoria temporum S. Leonis Magni, Alexandri III, Innocentii III, S. Pii V, Leonis XIII etque Pontificum, quorum opera vel auspiciis ab extremo excidio, quod a barbaris impendebat, Italia sospes evasit, incorruptam retinuit antiquam fidem, atque inter tenebras squalorumque rudioris aevi scientiarum lumen et splendorem artium auvit, vigentemque servavit. Testatur Nostra haec alma Urbs Pontificum Sedes, quae hunc ex iis fructum maximum cepit, ut non solum arx fidei munitissima esset, sed etiam honorum artium asylum et domicilium sapientiae effecta, totius orbis erga se admirationem et observantium conciliaret. Cum harum rerum amplitudo ad aeternam memoriam monumentis historiae sit tradita, facili negotio intelligitur, non potuisse nisi per hostilem voluntatem indignamque calumniam, ad hominum deceptionem, voce ac litteris obtrudi, hanc Apostolicam Sedem civili populorum cultui et Italiae felicitati impedimento esse.

Si igitur spes omnes Italiae Orbisque universi in ea vi communi utilitati et bono saluberrima, quae Sedis Apostolicae pollet auctoritas, et in arcissimo nexu sunt positae, qui omnes Christi fideles cum Ro-



moribus infensissimum; persaepe malesano amoris perniciosae ac funestae dissectiones succederent. Haec sane misera et luctuosa non possunt, Venerabiles Fratres, vestrum zelum non excitare ac movere ad fideles vigilantiae Vestrae concedit sedulo instanterque monendos, ut dociles aures doctrinis adhibeant quae christiani coniugii sanctitatem respiciunt, ac parent legibus quibus Ecclesia coniugum natorumque officia moderatur.

Tum vero illud optatissimum consequetur, quod singulorum etiam hominum mores et vitae ratio reformentur: nam veluti ex corrupto stipite deteriores rami et fructus infelices germinant, sic mala labes, quae familias depravat, in singulorum civium noxam et vitium tristi contagione redundat. Contra vero, domestica societate ad christianae vitae formam composita, singula membra sensim assuescent religionem pietatemque diligere, a falsis perniciosisque doctrinis abhorre, sectari virtutem, maioribus obsequi, atque inexhaustum illud privatae duntaxat utilitatis studium coercere, quod humanam naturam tantopere deprimit ac enervat. In quem finem non parum profecto conferet piis illas consociationes moderari et provehere, quae magno rei catholicae bono nostra haec aetate constitutae sunt.

Granda quidem et humanis maiora viribus haec sunt, quae spei et votis Nostris complectimur, Venerabiles Fratres; sed cum Deus sanabiles fecerit nationes orbis terrarum, cum Ecclesiam ad salutem gentium condiderit, eique suo se auxilio adfuturam usque ad consummationem saeculi promississet, firmiter confidimus, adlaborantibus Vobis, humanum genus tot malis et calamitatibus admonitum, tandem in Ecclesiae obsequio, in huius Apostolicae Cathedrae infalibili magisterio salutem et prosperitatem quaesiturum.

Interes, Venerabiles Fratres, antequam finem scribendi faciamus, necesse est ut Vobis declarem gratulationem Nostram pro mira illa consensione et concordia, quae animos Vestros inter Vos et cum hac Apostolica Sede in unum coniungit. Quam quidem perfectam coniunctionem non modo inexpugnabile propugnaculum esse contra impetus hostium arbitramur; sed etiam faustum ac felix omen quod meliora tempora Ecclesiae spondet; ac dum eadem maximum solatium offert infirmitati Nostrae, etiam animum opportune erigit, ut in arduo, quod suscepimus, munere omnes labores, omnia certamina pro Ecclesia Dei alacriter sustineamus.

Ab hisce porro spei et gratulationis causis, quae Vobis patefecimus, seingere non possumus eas significationes amoris et obsequii, quae in his Nostris Pontificatus exordiis Vos, Venerabiles Fratres, et una cum Vobis exhibere humilitati Nostrae ecclesiastici viri et fideles quamplurimi, qui literis missis; largitionibus collatis, peregrinationibus etiam peractis, nec non aliis pietatis officiis, ostenderunt devotionem et caritatem illam, qua meritissimum Praedecessorem Nostrum prosecuti fuere, adeo firmam stabilem integramque manere, ut in persona tam imparis non tepescat heredis. Pro hisce splendidissimis catholicae pietatis testimoniis humiliter confitemur

Domino quia bonus et benignus est, ac Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Dilectis Filiis, a quibus ea accepimus, gratissimos animi Nostris sensus ex intimo corde publice profiteamur, plenam foventes fiduciam nunquam defuturam Nobis, in his rerum angustiis et temporum difficultatibus, hoc Vestrum ac fidelium studium et dilectionem. Nec vero dubitamus quin egregia haec filialis pietatis et christianae virtutis exempla plurimum sint valitura, ut Deus clementissimus, officiis hisce permotus, gregem suum propitius respiciat et Ecclesiae pacem ac victoriam largiatur. Quoniam autem hanc pacem et victoriam ocius et facilius Nobis datum iri confidimus, si vota precesque constanter ad eam impetrandam deus effuderint, Vos magnopere hortamur, Venerabiles Fratres, ut in hanc rem fidelium studia et fervorem excitetis, conciliatrice apud Deum adhibita Immaculata Caelorum Regina, ac deprecatoribus interpositis Sancto Iosepho Patrono Ecclesiae caelesti, sanctisque Apostolorum Principibus Petro et Paulo, quorum omnium potenti patrocinio humilitatem Nostram, cunctos ecclesiasticae hierarchiae ordines ad dominicum gregem universum supplices commendamus.

Caeterum hos dies, quibus solemnem memoriam Iesu Christi resurgentis recolimus, Vobis, Venerabiles Fratres, et universo dominico gregi faustos salutare ac sancto gaudio plenos esse exoptamus, adprecantes benignissimum Deum ut Sanguini immaculati Agni, quo deletum est chirographum quod adversus nos erat, culpae quas contraximus deleantur, et iuramento quod pro illis ferimus clementer relaxetur.

*Gratia Domini Nostris Iesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Venerabiles Fratres; quibus singulis universis, nec non et Dilectis Filiis clero et fidelibus Ecclesiarum Vestrarum in pignus praecipuae benevolentiae et in auspiciis caelestis praesidii Apostolicam benedictionem aman- tissime impertimus.*

Datum Romae apud S. Petrum, die sollemni Paschae, XXI Aprilis, anno MDCCCLXXVIII, Pontificatus Nostris anno primo

LEO PP. XIII.

